

4

TENTAMEN  
CONCORDIÆ  
*MATTHEUM inter & LUCAM*  
CIRCA GENEALOGIAM  
JESU CHRISTI  
DOMINI NOSTRI,

QUOD

UNA CUM SUBNEXIS COROLLARIIS BIBLICIS

PRÆSIDE

P. POLICHRONIO GASSMANN

*Ord. FP. Minor. S. Franc. Recollect. S. Scripturæ,  
SS. Canonum, & Juris Ecclesiastici publici  
Professore P. O.*

Eruditorum Crisi exponet

*Religiosus ejusdem Instituti Sacerdos*

F. MARIANUS HAUSS

*S. Scripturæ, SS. Theologiæ, & Jurisprudentiæ  
sacræ Auditor.*

Aquisgrani in Aulâ Academicâ Majori horis ante  
meridiem consuetis.

Die 6. Septembris Anno M. DCC. LXXXVII.

EX TYPOGRAPHIA SCHÆFERIANA.

*F. Rosculus Binterim*



4m: Bimt. 406

( 2 )

ESW



OPPONENT RELIGIOSI FRATRES.

F. JUSTINIANUS PANZER.

F. AMADÆUS LEONARDS.

F. APRONIANUS FERBER.

Presby-  
teri  
Subdia-  
conus.

A P P R O B A T I O.

Hæ Theses scripturisticae nihil continent con-  
tra fidem, aut bonos mores. Datum Leodii 25 Julii 1787.

F. NIC. VELARS.  
*Exam. Synod.*

P E R M I S S I O.

Permittimus impressionem. Leodii hac 26.  
Julii 1787.

H. COMES DE ROUGRAVE.  
*Vicarius Generalis.*



( 3 )



TENTAMEN CONCORDIÆ  
INTER  
UTRUMQUE EVANGELISTAM  
MATHÆUM ET LUCAM  
CIRCA  
GENEALOGIAM  
JESU CHRISTI  
DOMINI NOSTRI.

---

ARGUMENTUM.

**D**uplicem in **JESU CHRISTO** admittendam esse generationem, fide divinâ certum est ; unam nempe æternam, quâ à Patre procedit sine matre, temporalem alteram, quâ è sinu matris progreditur in tempore sine patre. *Æternam adversus Cerinthum, & Ebionitas* adornat *S. Joannes C. I.* Tempora-



lem exhibent *S. Mathæus C. I.*, & *S. Lucas C. III. à v. 23*, sed uterque, ut videtur, aliam, atque ex vario capite diversam. Diversitas hæc olim jam *Porphyrio*, & *Manichæis*, teste *S. Augustino L. 24. cont. Faust. C. 1, 2, 3*, *Juliano Apostatæ* apud *Cyrillum Alexandrinum L. 8. cont. eundem Julianum*, *Celso* apud *Origenem L. 2. cont. Celsum*, arma subministravit, quæ dictos Evangelistas impeterent, imò & hodie Judæis adhuc calumniandi stimulos suppeditat. Ut autem diversitas illa uno veluti intuitu cuivis pateat, operæ pretium erit, utramque Genealogiam subnectere.





---

---

C A P U T I.

*Genealogia Domini nostri Jesu Christi secundum Carnem.*

---

---

§. I.

D E U S ,

A D A M ,

*Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch, Mathusale, Lamech, Noë, Sem, Arphaxad, Cainan, \* Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Sarug, Nachor, Thare, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Efron, Aran, Aminadab, Naason, Salmon, Booz, \*\*, Obed, Jesse,*

---

\* *Caïnanum, Arphaxad inter & Sale, Gen. X. 24. & XI. 12. omittit Moyses: in textu S. Lucæ C. III. 36. comparet Caïnan; sed alienâ illum manu in textum fuisse intrusum, vehemens suspicio est.*

\*\* *Utrûm Rahab, mater Boози, Mat. I. 5. eadem fit cum illâ Jerichuntinâ, quæ exploratores excepit Josu. II. 1., dubitant interpretum nonnulli. Captum enim superare videtur, quomodo à capta Jerichunte, ubi Salmon duxit Rahab, usque ad ortum Davidis effluere potuerint 366 anni; tot namque fluxisse patet*



## D A V I D

Juxta S. MATHÆUM.

Cap. I. 1. *seqq.**Salomon**Roboam*

Juxta S. LUCAM.

Cap. III. 23. *seqq.**Nathan**Mathatæ*

ex III. Reg. VI. 1, ubi ab exitu Israël de Ægypto, usque ad annum quartum Regni *Salomonis*, decurrisse dicuntur anni 480. Ab annis autem 480 si demantur anni 40., quibus Israëlitiæ commorati sunt in deserto, & anni 70, quibus vixit David II. Reg. V. 4, item anni quatuor regni *Salomonis*, restabunt anni 366, quos in quatuor personis, *Salmon*, *Booz*, *Obed*, & *Jesse* vix reperire licebit, nisi in ætate omnino decrepitâ generasse supponantur. *Nicolaus de Lyra*, quem *Tirinus* sequitur, ut propositæ satisfaciât difficultati, tres distinguit *Booz*, filium scilicet *Salmonis*, nepotem, & pronepotem, omnes ejusdem nominis, quorum duos priores vult à *Mathæo* prætermisissos, & tertium duntaxat positum. Quare juxta hanc sententiam, *Salmon* genuit primum *Booz*, & hic genuit secundum, postea hic secundus genuit tertium, atque hic tandem tertius genuit *Obed* ex *Ruth*. Ast nulla sententiam hanc fulciunt argumenta. Nomen *Rahab* non sine gravi causâ in Christi genealogiâ expressit Spiritus sanctus, & unius tantum *Booz* meminit Scriptura sacra; neque plures admittere oportet, ut salvetur Scripturæ calculus, quandoquidem à vero non putemus abluere, quod quatuor homines sibi succedentes 366 annorum spatium replere possint, illis præsertim temporibus, quando plures etiam ultra sæculi spatium



Abias  
 Asa  
 Josaphat  
 Joram \*\*\*

Menna  
 Melcha  
 Eliacim  
 Jona

---

vitam provehebant. De *Booz* sanè constet, ipsum grandævum fuisse tempore, quo genuit *Obed*. Ait enim *Ruth* C. III. 10. *Benedicta es à Domino Filia, quia non es secuta juvenes, pauperes, sive divites.*

\*\*\* *Joram* genuit *Oziam* Mat. I. 8, non immediatè, sed mediantibus tribus generationibus. Nam *Joram* proximè genuit *Ochoziam*, hic genuit *Joas*, *Joas* genuit *Amasiam*, *Amasias* genuit *Oziam*, seu *Azariam* IV. Reg. XIV. *Mathæus* autem, cum in censu progenitorum Christi, ter quatuordecim hominum numerum servare decreverit, tres eo numero majores, præterire debuit. Cur verò hos potiùs, quàm alios tres, omittendos putaverit, ratio, ajunt, fuisse videtur, quod tres illi geniti essent ex *Athalia*, impiissimorum *Achabi* & *Jezabelis* filia, quorum stirpem penitus delendam Deus prædixerat III. Reg. XXI. 21. Unde *Mathæus* saltem memoriam eorum, quasi nunquam vixissent, ad quartam usque generationem, abolitam voluit. Verum an hæc præcisè proposita fuerit *Mathæo* ratio, multum dubitare licet. Illa saltem minimè probatur ævi nostri criticis, quibus *Athaliæ* scelera, fatis causæ non sunt, ut originis series mutilaretur, præsertim quod in Christi genealogiâ, compareant *Salomon*, *Achaz*, *Manasses*, & alii, de quibus par posset adferri ratio. Quapropter superfluum esse ducimus, peregrinam huc rationem advocare. Solent frequenter Hagiographi in



Ozias	Joseph
Joathan	Juda
Achaz	Simeon
Ezechias	Levi
Manasses	Mathas
Amon	Jorim
Josias	Eliezer
Jechonias, qui & Eliacim,	Jesu
& Joakim	Her
Jechonias, qui &	Elmadam
Joachin ****	Cofan
	Addi
	Melchi
	Neri

---

rebus notissimis aliqua negligere, atque ubi originum series texunt, recitatis solum iis nominibus, quibus opus est, breviori viâ ad propositum tendere. Sic I. Paral. IV. 1. Sobal tanquam proximus Judæ filius ponitur, quanquam quinque, vel sex ætatum intervallo, ab eo distet. Plura itidem nomina desunt in C. II. L. 1. Esdræ, collato cum Cap. II. Libri II.

\*\*\*\* Igitur in Genealogiâ Christi apud Mathæum duplex distinguitur Jechonias. Hinc dum V. II. Josias dicitur genuisse Jechoniam, intelligendus est Joakim, filius Josiæ: dum autem post transmigrationem, Jechonias dicitur genuisse Salathiel, Jechoniæ nomine venit Josiæ nepos, filius Joakim. Belle hanc



SALATHIEL.

ZOROBABEL.

Abiud

Eliacim

Azor

Resa

Johanna

Juda

in rem S. Ambrosius C. 3. in Luc., duos, ait, Joachim, hoc est, duos Jechonias fuisse, historia indicat, unum ante transmigracionem, alterum in ipsâ transmigracione generatum, id est, Patrem, & Filium. Ergò Pater inter superiores generationes est computatus, qui successit Josiæ, Filius inter posteriores, qui successit Patri, id est, nepos Josiæ.... Non igitur suppressit alterum Evangelista, sed utrumque signavit, quod uterque Jechonias dictus sit. Idem confirmat S. Hieronymus in hunc locum scribens. Sciamus, inquit, Jechoniam priorem ipsum esse, quem & Joakim, secundum autem Filium, non Patrem, quorum prior per K. & M., sequens autem per Ch. & N. scribitur, quod scriptorum vitio, & longitudine temporum apud Græcos, Latinósque confusum est. Ipsemet etiam Evangelista inter utrumque Jechoniam satis apertè distinguit. Dum enim V. 11. dicit: Josias genuit Jechoniam, de industriâ, & ex proposito videtur addere: Et Fratres ejus, ut innuat hunc Jechoniam, diversum esse ab illo Jechonia, de quo loquitur V. 12, utpote qui fratres non habuit, sed unicum duntaxat fratrem, nempe Sedeciam, ut constat ex I. Paral. III. 16. Cur verò Joakim, seu



<i>Sadoc</i>	<i>Joseph</i>
<i>Achim</i>	<i>Semei</i>
<i>Eliud</i>	<i>Mathathias</i>
<i>Eleazar</i>	<i>Mahath</i>
<i>Mathan</i>	<i>Nagge</i>
<i>Jacob</i>	<i>Hesti</i>
<i>Joseph, Vir</i>	<i>Nahum</i>
<i>Mariae, de</i>	<i>Amos</i>
<i>quâ natus</i>	<i>Mathathias</i>
	<i>Joseph</i>
	<i>Janne</i>
	<i>Melchi</i>
	<i>Levi</i>
	<i>Mathat</i>
	<i>Heli</i>
	<i>Joseph, Vir</i>
	<i>Mariae, de</i>
	<i>quâ natus</i>
<i>est - - J E S U S. - -</i>	<i>est</i>

*Jechonias* prior, *Jechoniae* posterioris pater, non dicitur hunc genuisse, sicuti de aliis dicitur, ratio fuit, ut evitaretur Cacophonia, sive ingrata ejusdem nominis repetitio, scilicet: *Jechonias* genuit *Jechoniam*. Unius dein ab alio distinctio, & successio satis constare poterat, tum ex interjecto intervallo captivitatis *Babylonicae*, tum ex adjunctis priori fratribus, quibus alter caruit, tum etiam ex commemoratione geniti à secundo *Salathielis* post transmigrationem in *Babyloniam*, in quam solus *Jechonias*, filius transmigravit, patre ignominiosâ morte sublato, & sepulturâ afini sepulto extra portam *Jerusalem* juxta vaticinium *Jeremiae* C. XXII. 18. 19.



## §. I I.

En ! itaque Genealogiam Jesu Christi à *Matheo*, & *Luca* descriptam ! Conveniunt ambo in subjecto, seu materiâ, quam pertractant ; siquidem uterque describere intendat veram, ac naturalem Servatoris nostri Genealogiam. Conveniunt in scopo & fine, qui est, ut uterque ostendat, Christum esse verum Messiam, ortum ex *Abraham* & *David*, secundum promissiones iisdem divinitus de eodem factas. Conveniunt in personis ab *Abraham* usque ad *Davidem* inclusivè, quos *S. Mathæus* ponit in prima sua tesseradecade. Easdem enim uterque recenset, & licèt *Mathæus* non incipiat ab *Adamo*, ad quem usque, imò & ad *Deum* ascendit *S. Lucas*, seriem tamen hujus non impugnat, sed supponit. Conveniunt denique in eo, quod uterque Christi Genealogiam usque ad *Josephum* deducere, & per ipsum Jesu Christi genus, ac originem probare velle videatur.

## §. I I I.

Verùm & discordant inter se ; primò quidem in modo, seu formâ procedendi. *Mathæus* namque progreditur descendendo, *Lucas* ascendendo : quanquam hoc de se sit indifferens, & Hebræi passim nunc uno, nunc alio utantur modo, prout occurrentia in scripturis, modi utriusque exempla probant. Præterea *Mathæus* Evangelium suum



Judæis scripsit, ideóque incipit ab *Abraham*, utpote cujus memoria celeberrima erat Israëlitis, eique facta Messiaë repromissio. *Lucas* verò Gentilibus scribens, ascendit usque ad *Adam*, ut ostenderet Messiam non Judæis tantum natum fuisse, sed & Gentibus, cum *Adam* pater sit omnium, imò & idcirco ascendit ad Deum, de quo Apostolus Rom. III. 29. *An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium?* Discrepant ulterius in hoc, quod *Matheus* Generationes suas, redigat in certas classes, & tesseradecades, *Lucas* verò non item. Cur interim S. *Matheus* in tres tesseradecades Genealogiam suam distribuerit, hujus rei non contemnendam S. *Chrysostronus* Hom. IV. in *Math.* adfert rationem. Vult enim id factum esse, ob tres insignes mutationes, quas populus Dei ante Christum, expertus fuerat in triplici quasi statu, in quo fuit. Sic primus populi istius status, fuit quasi Democraticus sub Patriarchis, Prophetis, & Judicibus, ab *Abraham* usque ad *David*. Nam licet *Saul* sub titulo Regis præfuerit populo, revera tamen & occasio electionis ejus, & regni decursus, & infeliciores exitus satis demonstrarunt, illum quasi in pœnam regnasse potius, quàm quia tempus sceptri advenerat. Secundus erat quasi Monarchicus, sub Regibus à  *Davide*, usque ad captivitatem Babylonicam. Tertius quasi Aristocraticus sub regimine Ducum, & Pontificum, à cap-



tivitate Babylonicâ ulque ad Christum. Itaque S. *Matheus* hîc se accommodat consuetudini Historiographorum, qui in descriptionibus suis varia observant intervalla, quibus regnum aliquod, seu populus diversa dominantium subiit Imperia, veluti de Romano egit *Tacitus*, qui dicit Romam ab initio habuisse Reges, postea Consules, Dictatores, Triumviros, donec omnia tandem *Octavianus Augustus* nomine Imperatoris in suam redegerit potestatem.

#### §. I V.

Disconveniunt iterum in numero Generationum, non solum quatenus S. *Lucas* ab *Abrahamo* ascendens sursum, refert eas, quas omisit *Matheus*, verum & quatenus ab *Abrahamo* ad Christum usque, unus recenset plures, quam alius. Sic *Lucas* à *Davide* usque ad Christum, Generationes enumerat quadraginta duas, *Matheus*, viginti octo duntaxat. Sed facilis est ratio differentiae, eó quod S. *Matheus* volens Generationes ab *Abraham* usque ad Christum dividere in tres tesseradecades, omisis illis tribus Regibus, *Ochozia*, *Joa*, & *Amasia*, non potuerit plures, vel pauciores ponere: *Lucas* autem plenum, & completum intendens earundem exprimere numerum, voluerit Genealogiam Christi ad *Adam*, & ad *Deum* usque deducere, Generationes exhibens septuaginta septem.



Discordant denique in hoc, quod *S. Matheus* constanter utatur vocabulo : *Genuit*, *Lucas* verò usurpet voces : *qui fuit* &c. phrasi latiori. Ast & hoc parùm refert, quandoquidem hæc loquendi, au scribendi formula : *qui fuit*, non neget aliquem esse Filium naturalem, verâ Generatione natum, ut patet ex ipsomet progressu Genealogiæ *Lucæ*, dum dicit : *qui fuit David*, *qui fuit Jesse*, *qui fuit Obed* &c., Quos omnes extitisse Filios naturaliter genitos, in confesso est apud omnes.

## §. V.

Præter hæc, in quibus inter se dissentiunt *Matheus* & *Lucas*, restat & alia gravissimi momenti difficultas, quomodo scilicet dicti *Evangelistæ*, idem *Josephi*, vel *Christi* genus ducere potuerint per diversas adeò lineas, diversasque numero Generationes, & personas? Quæstio hæc, pro quâ enucleandâ, desudârunt hæctenùs præstantissima orbis ingenia, una facilè ex illis est, in quibus sobriè oportet sapere; quod dum advertere neglexit *Faustus Manichæus*, in extremam incidit dementiam, sacrilegâ temeritate utrumque *Evangelistam* ausus rejicere. *Fieri*, ajebat ille, *posse putabam*, ut, quia *Præscius non sum*, quem *mentiri existimabam*, ipse *diceret verum*, & quem *vera loqui*, ipse *forssitan mentiretur*; infinita ergò eorum *pratermissâ lite*, & *interminabili mihi*, ad *Joannem*, *Marcumque me con-*



tuli. At egregiè, solideque pro more suo *Fausta* respondet S. *Augustinus* L. 3. cont. eund. *Faust.* C. 2. *Acutos*, inquit, & doctos viros, divinarum scripturarum pertractatores, vidisse quidem hanc diversitatem, sed piè cogitantes tanta *Authoritatis* eminentiam, latere ibi aliquid credidisse, quod petentibus daretur, oblatrantibus negaretur, à quærentibus inveniretur, reprehendentibus subtraheretur, pulsantibus aperiretur, oppugnantibus clauderetur, petierunt, quæsi verunt, acceperunt, invenerunt, intraverunt. *Unitate* itaque, pergit L. 5. C. 5. S. *Doctor*, gaudent, & in *Christo* unum sunt *Mathæus*, & *Lucas*: Et si alius aliud, & alius aliud, aut alius aliter, vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius *Lector* accedat, si mitis legat, & si non heretico animo, unde rixetur, sed *fideli* corde, unde edificetur, inquirat. Hæc *Augustinus*.

## §. V I.

Videndum igitur primò, quomodo conciliandi sint hi duo *Evangelistæ*, qui genus S. *Josephi* ducunt per diversissimas lineas *Salomonis*, & *Nathanis*, & quomodo ab utroque *Davidis* filio, & ab utriusque posteris descendere potuerit S. *Joseph*? Videndum *Secundò*, qualiter conciliari possint quoad numerum personarum, vel *Generationum*? Si quidem *Mathæus* à *Davide* usque ad *transmigrationem* *Babylonis*, numeret tantum quatuordecim,



*Lucas* autem plures; & à *Zorobabele* usque ad *Josephum Lucas* referat octodecim, *Mathæus* duntaxat novem. Inquirendum *tertio*, cur & quomodo alios progenitores, aliásque personas recensent *Mathæus*, & alias omninò *Lucas*? Sic *Lucas*, *Salthiëlem* facit filium *Neri*, *Mathæus* asserit esse filium *Jechonia*: *Lucas* nominat *Resam*, filium *Zorobabelis*, *Mathæus* eundem adscribit *Abiud*, quæ Patri; *Lucas* Patrem S. *Josephi* appellat *Heli*, *Mathæus* dicit *Jacobum*. En! quot & quantæ in intricatissimâ hacce materiâ difficultates! Quæ tamen, si non omnes, saltem ferè omnes, ab unâ dependent solutione, per quam, & ex quâ operosum non erit reliquis satisfacere. .... Expendamus præcipuas, magisque inter alias celebres, Patrum, & interpretum, circa propositas difficultates, sententias.

---



---

## C A P U T I I.

### *Examinatur Systema Julii Africani.*

---

#### §. V I I.

*Julius Africanus*, qui tertio Ecclesiæ sæculo floruit, in Epist. ad *Aristidem*, quam refert *Eusebius* L. I. H. E: C. 6., hanc concordia tentandæ rationem tradidit



didit. Docet enim *Matheum* texere Genealogiam Christi naturalem, *Lucam* verò legalem, adeoque mirum non esse, quòd diversa utrimque occurrant nomina, diversúsque Generationum, ac personarum numerus. Rem ita explicat *Africanus*: *Matheus* à *Davide* per *Salomonem*, Genealogiam suam deducit ad *Mathan*: *Lucas* eandem à *Davide* per *Nathan*, deducit ad *Melchi*. Hoc posito ostendit, quomodo *Joseph* secundum *Matheum*, potuerit patrem habere *Jacobum* descendantem per *Salomonem*, & secundum *Lucam*, patrem habere *Heli* descendantem per *Nathan*. Diversis namque temporibus *Mathan*, & *Melchi* habuerunt unam, eandemque uxorem, nomine *Estham*: hanc primò duxit *Mathan*, & ex eâ genuit *Jacob*, defuncto autem *Mathan* eandem duxit *Melchi*, atque ex eâ genuit *Heli*. *Heli* uxorem quidem duxit, sed mortuus est sine liberis. Itaque *Jacob*, ipsius frater uterinus, relictam fratris sui *Heli* viduam, juxta legem *Deuter. XXV. 5.* latam, sibi matrimonio copulavit, semen fratri suo absque liberis defuncto suscitaturus, ex quo conjugio postmodum natus est *Joseph*, vir *Marie*, de quâ natus est *JESUS*..... *Hæc* autem, subdit *Julius*, non à nobis ad subitum reperta, aut absque ullis authoritatibus commentata sunt: sed ipsi hæc *Salvatoris* nostri secundum carnem propingui, seu studio tanti seminis demonstrandi, sive edocendi, quæ secundum veritatem facta sunt, tradiderunt.

### §. VIII.

Sequaces hæc *Africani* sententia, paulatim nacta est plerisque Ss. Patres & Scholasticos vix non omnes; eidemque favere videtur *Mathæi* textus ipse: *Jacob* genuit *Joseph*, cum *Lucas* tantum ferat: *Joseph*, qui fuit *Heli*; id quod sine omni absurdo



commodè sic reddi potest: *Qui ad Heli pertinebat*, quemadmodum eodem planè sensu in capite Genealogiæ ab eodem *Luca* adornatæ legitur: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, puta, qui *Adam* ex manibus Dei opificis, tanquam illius plasma prodiit. Quapropter apertè in hoc systemate ostenditur, quâ ratione secundùm *Matheum* potuerit *Joseph* esse filius naturalis *Jacobi*, & juxta *Lucam* filius legalis *Heli*, simulque demonstratur modus, quo *Matheus* & *Lucas* ad speciem discordes, ad concordiam facilè revocari queant.

### §. I X.

Sunt interim non pauca, quæ negotium faciunt huic systemati. Illud certum, quod assignari hoc modo nequeat, ad quid Genealogia, à *S. Luca* tam operoso conatu contexta, deserviat. Quid enim ad veram, naturalémque *JESU CHRISTI* Genealogiam, filiatio legalis *Josephi* conducatur? Neque hoc satis, sed ipsum adeò systema hoc, primâ fronte tam speciosum ac plausibile, *S. Luca* manifestè repugnat, quippe qui *Mathat*, & *Levi* constituit medios inter *Melchi*, & *Heli*, cùm *Africanus* parentem *Heli* proximum, habeat *Melchi*, illum scilicet, quem nostra *Luca* exemplaria Avum ejusdem ferunt. Adde, quòd *Estha* hìc impertinenter adducatur. Quamvis enim in eâ tanquam matre, coeant uterini fratres, *Jacob* & *Heli*, coire tamen illi nequeunt in *Mathat*, & *Mathan*, cæterisque eorum antecessoribus, usque ad *Davidem*. Nihil igitur hìc conferunt ad Genealogiam *JESU CHRISTI*, ita ut ex illis ostendatur *JESUS* ex femine *Davidis*, secundùm carnem esse prognatus. Si enim natus sit ex *Estha* & *Mathat*, idem non potuit gigni ex *Estha* & *Mathan*, quomodo ergò *Jesus* ponitur filius tam *Mathat*, quàm *Mathan*? Tandem



ipse *Julius Africanus* suæ omninò non fudit sententia. Ait enim in Epistolâ laudatâ ad *Aristidem* : *Sive ita, sive aliter se res habeat, dilucidiorum expositionem alius quisquam non invenerit, ut mihi quidem, & unicuique, qui equo, candidoque ingenio preditus sit, videtur. Eam verò ipsi quoque probate, quamvis nullo certo testimonio sit firmata &c.* Ex quibus verbis fat anxie prolatis colligitur, eum de veritate hujus systematis subdubitasse.

## §. X.

Nihil itaque moramur errata, quæ *Africano* hac in re vitio vertuntur. Credulitas viri, & temporum discrepantia, quæ inter cognatos *JESU CHRISTI* testimonium ferentes, & *Josephi* incubula, trecentorum circiter annorum, intercedit, multum huc conferre poterant. Quòd autem tam multi, unanimi quasi consensu, in hoc negotio conspirent Patres, & *Africani* sententiæ certatim subscripserint, hac planè de causâ factum videtur, quia melior, aut verosimilis magis, ipsis non succurrebat difficultatis solutio; unde maluerunt sequi illam, quam apparentes contradictiones, aut falsitates in scripturis admittere. Unius verò errorem Authoris, facile dimanare ad alios, nec mirum, nec novum est. Patet hoc luculenter in errore *Chiliasiarum*, qui primitus à *Papia* disseminatus, citò Orientem & Occidentem pervasit, seque latissimè diffudit, ac *Irenæo*, *Tertulliano*, *Lactantio*, *Justino* Martyri, aliisque obrepit, tametsi Patres illi, satis vicini essent Apostolorum temporibus.

## §. XI.

Sententia R. P. *Petri Possini*, quam ad diem 19 Martii *Hagiographi Antverpienses* referunt, quatenus convenit cum illâ *Julii Africani*, idem cum eâ



meretur iudicium, eadēque subit fata. Sentit vir eruditus, non *Matheum* Judæis scribentem, sed *Lucam* gentium Evangelistam, carnalem *Josephi* Genealogiam texere, *Matheum* verò sequi promissionis seriem, per legales successiones continuatam. Sed obstat omnino, quòd *Matheus* constanter utens vocabulo: *Genuit*, abundè per totum orationis suæ decursum declaret, se naturalem, quæ secundum carnem est, *Josephi* Genealogiam depingere. Præter hoc, & aliud, illudque haud leve, laudata *P. Possini* opinio, patitur incommodum. Hac enim datâ hypothesi, *JESUS CHRISTUS*, non ex  *Davide* per lineam *Salomonis* regiam, sed per ducalem duntaxat *Nathanis*, traheret originem, quod ipsum tamen Patrum traditioni unanimi repugnare constat.

---



---

### C A P U T   I I I .

*Alterâ, quæ aliorum est, expenditur Sententia.*

---

#### §.   X I I .

Aliam proinde repudiato *Julii Africani* systemate, concordia viam tentârunt alii, docentes S. *Matheum* genus S. *Josephi* paternum, & maternum B. *Virginis Mariae*, deducere à *Davide* per *Salomonem*, *Lucam* verò genus paternum *Mariae*, per *Nathanem*, alterum *Davidis* filium, referre ad eundem *Davidem*, hoc modo:

#### D A V I D .

*Salomon*  
*Mathan*  
*Jacob, Anna*

*Nathan*  
*Mathat*  
*Heli, qui & Joachin*  
*Anna, maritus*  
*Maria*

*Joseph*

Conjuges  
*J E S U S,*



In hoc ergò, ut patet, iſtèmate, *Jacob* fuit Germanus frater *S. Annae*, quæ ſubin matrimonio juncta *Heli*, ſeu *Joachimo*, edidit electam ex millibus, *B. V. Mariam*, adeoque *Maria* ſecundùm *Matheum* naturaliter per matrem ſuam *Annam*, & avum maternum *Mathan*, deſcendit à *Davide* per *Salomonem*, juxta *Lucam* verò deſcendit naturaliter per patrem ſuum *Heli*, ſeu *Joachim*, à *Davide* per *Nathanem*, *Salomonis* fratrem. Patet itaque *S. Matheum* digeſſiſſe ſtirpem, ac Genealogiam *B. Virginis* maternam, per *S. Annam* ſororem *Jacob*, & filiam *Mathan*, *Lucam* verò paternam ejusdem *Deiparæ*, per Patrem ejus *Heli*, ſeu *Joachim*, ut oſtendatur *CHRISTUM* tam per paternam, quàm maternam lineam deſcendere ex ſemine *Davidis*, non legaliter, ſed naturaliter, juxta *Scripturæ S.* aſſerta. In hanc ſententiam conceſſerunt *Jansen. Gandav. Concordiæ ſuæ C. 14. Cornel. à Lap. in C. 3. Luc. Tirinus in Chron. Sac. Fulgent. Bottens tom. 3. Oecon. Sac. C. 24. §. 4*, eaque tanto ſtudio à plerisque recentiorum interpretum defenditur, ut hac tantùm ratione, quæcunque adverſus utrumque *Evangeliftam* obmoventur, dilui poſſe contendat.

### §. XIII.

Verùm quamvis ex hoc ſyſtemate appareat, cui fini Genealogia ab utroque *Evangelifta* contexta deſerviat, & quomodo *Joſeph* juxta *Matheum* ſit filius *Jacobi*, minimè tamen ex illo elucet, quâ ratione ſic *Joſeph* dici poſſit filius *Heli*, qualis dicitur *Luc. III. 23. Jeſus putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli &c.* Reſpondent aliqui relativum: qui, non afficere citato loco *Joſephum*, ſed *JESUM*, ita ut ſenſus ſit: *Jeſus putabatur filius Joſeph ( qui*



( tamen ) fuit *Heli*, nempè filius, seu potius nepos, quia ex *Maria* genitus, utpote quæ juxta hanc hypothefin fuit filia *Heli*. At nodum non solvit data responsio. Sanè in totius profecutione Genealogiæ, relativum : *qui*, constanter afficit suppositum proximius, de quo immediatè sermo præcessit, quidni & *ψ. 23*, præsertim, quòd syrus legat : *putabatur filius Joseph, filii Heli, filii Mathat*? Unde meliùs *A lapide*, & *P. Bottens* respondent relativum : *qui* afficere reverà *Josephum*, quamvis filius *Heli* non fuerit, sed tantùm Gener, quatenùs *Mariam* duxit uxorem, quæ erat filia *Heli*, seu *Joachim*. Sed neque hoc modo exposita, placere potest hypothefis. Enim verò ex illa manifestè sequitur, *B. Virginem* genus sum Paternum, ex stirpe *Davidis* regia, nullatenùs retulisse, proin quod nec ipsa, nec *CHRISTUS* ejusdem filius propriè ex stirpe regali exorti fuerint ; cui tamen sequelæ officit, quod promissiones venturi Messia, *Abrahamo* primùm factæ, dein tribui *Judæ*, Oraculo Patriarchæ *Jacobi Gen. 49*, assertæ, ac tandem *Davidi* confirmatæ, in masculinâ *Salomonis* posteritate implendæ expectarentur, siquidem Hebræi ( quæis matris familia, non est familia ) originem seu genus suum non secundùm lineam maternam, sed paternam computare consueverint.

#### §. X I V.

Argumento huic nostro, in se certè solido, respondere conatur *Illust. Calmet*, in *dissert. de Concil. Genealog. JESU CHRIST. Evangelio S. Lucae præfixâ*. „ Duæ, inquit, familiæ *Salomonis* & *Nathanis* in *Salathiele* & *Zorobabele*, qui ambo in „ utraque Genealogiâ Evangelistarum leguntur, in „ ter se coeuntes id præstiterunt, ut regius *Davidis* sanguis in duos veluti ramos divisus in unum



„ denique amnem coalesceret; sed iterum in ra-  
 „ mos divisus, hinc in *Heli* apud *Lucam*, illinc  
 „ in *Jacobo* apud *Matheum* confluit, ut proinde  
 „ uterque genus à  *Davide* ,  *Salomone* , ac  *Nathane*   
 „ referret. Sunt enim, pergit, unius, ejusdemque  
 „ trunci, duo veluti rami, idemque in venas utrius-  
 „ que familiæ sanguis transfunditur. Quâcunque  
 „ itaque ex parte respiciatur  *JESUS* , semper  *Da-*  
 „  *vidis*  genus est, sibi que uni decora omnia ejusdem fa-  
 „ miliæ, tam ex  *Josephi* , quàm ex  *Maria*  matris  
 „ jure deposcit. „ Ita  *Calmet*  citatus. ---- Suppo-  
 nit indubiè hæc doctissimi viri responsio, eodem  
 prorsus esse  *Salathielem* , &  *Zorobabelem* , apud  
 utrumque Evangelistam, in iisque lineam utram-  
 que,  *Salomonis*  scilicet &  *Nathanis*  sive per nup-  
 tias, sive aliquâ aliâ ratione coaluisse, quam dein  
 iterum bifurcari, seu decussari vult post  *Zoro-abe-*  
 *lem* , ita ut  *Matheus*  texat Genealogiam  *Josephi*   
 ex  *Abiud*  filio  *Zorobabelis*  uno,  *Lucas*  verò stirpem  
 *Mariæ*  ex  *Resa* , altero ejusdem filio.

#### §. X V.

Sed pace tanti viri dixerim, datâ responsione  
 difficultatem non tolli, sed augeri. Si enim linea  
 *Salomonis* , cum illâ  *Nathanis*  in  *Salathiele*  coaluit,  
 quid necesse fuit ante  *Salathielem* , utramque li-  
 neam studiosè describere? Suffecit procul dubio  
 alterutra, masculina videlicet  *Salomonis* , in illo-  
 rum vel maximè sententiâ, qui putant coalitionem  
 utriusque lineæ, contigisse per conjugium  *Fechonæ*   
 cum filia  *Neri* . Eo ipso namque genus  *Josephi* ,  
 &  *Mariæ*  referri poterat ad  *Davidem* , neque ob  
 matrem  *Salathielis* , ex hac vel illâ lineâ oriun-  
 dam, oportebat genus ejus maternum tam scrupu-  
 losè recenseri. Præterea  *Zorobabel*   *Mathæi* , diu



post transmigrationem Babylonicam natus fuit, quandoquidem ejusdem pater in ipsâ captivitate etiamnum pendente genitus fuerit, teste luculentissimò, ipsomet *Mattheo*. *Et post transmigrationem Babylonis*, ait *ψ. 12. Jechonias genuit Salathiel*. Econtra verò *Zorobabel* *S. Luca*, vel ante, vel non diu post dictæ captivitatis exordium, genitus fuisse videtur, siquidem illius, utpote jam ætate maturi, auspiciis & ducatu populus ex captivitate ad patrias sedes reversus legatur *II. Esd. XII. 1*. Accedit his, quod inter *Zorobabelem Mathai*, & *S. Josephum* novem duntaxat intercedant Generationes, septemdecim verò inter *Zorobabelem Luca*, & *Mariam*, manifesto satis indicio, hunc alio fuisse tempore priorem, & consequenter esse diversos, ac lineam utriusque sine coalitione procedere.

### §. X V I.

Reponit denuò laudatus *Calmet*, factas de Messia promissiones ad universam *Davidis* familiam pertinuisse, & nullibi in scripturis *Salomonem* tanquam futurum Messia parentem prænuntiari. „ Id, „ ait, absolvere, *Davidis* posteritati promissum fuit “. Sed fallor, si hæc *Calmeti* exceptio rem conficiat. Apertè satis *Davidi* in scripturis sacris promittitur, Messiam ex semine ipsius per *Salomonem* fore orturum. *Suscitabo*, ait *Deus II. Reg. VII. 12. Semen tuum post te.... & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum ejus, usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*; quæ verba ex parte in sensu etiam literali Christum respicere, ipsomet fatetur *Calmet* in locum citat. scribens, eoquod *Apostolus Hebr. I. 5*. illa applicet Christo. *Cui enim, inquit, dixit aliquando Angelorum ( Deus ) Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium ?* Similiter &



*David ipse Psal. 132. v. 11. testatur promisisse sibi Deum : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam ; Id quod S. Petrus Act. II. 29. de Christo exponit. Viri fratres, ait, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepulchrum ejus est apud nos, usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret, quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Quid clariùs pro re nostrâ ?*

---



---

#### C A P U T I V.

*Discutitur tertia Concordiæ tentandæ ratio.*

---



---

#### §. X V I I.

Cùm neque illa, quam vix ad trutinam vocavimus, numeris omnibus absoluta videatur sententia, recentiorum interpretum non paucis, sequens ad conciliandum *Mathæo Lucam*, præplacet hypothesis.

#### D A V I D

<i>Salomon</i>		<i>Nathan</i>
<i>Mathan</i>		<i>Heli</i>
<i>Jacob</i>	<i>Conjuges</i>	<i>Filia Heli</i>
<i>Joachim</i>	<i>Fratres</i>	<i>Joseph</i>
<i>Maria</i> - - - - -	<b>JESUS</b>	

Secundùm hanc, ajunt, hypothesein plana est Concordia inter utrumque Evangelistam. Est enim *Joseph*, juxta *Mathæum*, filius *Jacob*, & secundùm *Lucam* filius, seu potius nepos *Heli*, prout patet ex schemate. Descendit etiam *Maria* ex semine *David*, ex parte patris sui *Joachim*, per *Salomonem*, ex parte aviæ suæ, filia *Heli*, per *Nathan*.



proinde & Christus, qui ex *Maria* natus est. Fuerunt *S. Joseph*, & *B. V. Maria* proximi consanguinei, patruus nempe & neptis, quos inter lex nulla irritabat, nec etiam prohibebat matrimonium. Ita *R. P. Andreas Pauli* in sua *Epitome itinerar. filii Dei*. C. 2. N. 23, quem passim patres nostri *Brabantini* sequuntur.

### §. X V I I I.

Sed dolendum, neque hanc hypothesein à nævis esse immunem. Duo præcipuè incommoda patitur, quæ prohibent, ne nostrum facile calculum adjiciamus. Primum est, quod necessario augere debeat ætatem *S. Josephi*, eundemque sistere nobis ut capularem senem tempore, quo cum *Deiparâ* matrimonium contraxit, quod ipsum tamen ævi nostri criticis omninò desipit. Alterum, illudque principale, illud est, quod in probatione supponat aliquid, quod maximè probandum venit. Supponit scilicet, matrimonium patrum inter ac neptem, nullâ lege divinâ irritum fuisse, aut prohibitum.

### §. X I X.

Profectò *Levit. XVIII. 14.* cautum à Deo legimus: *turpitudinem patruï tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, qua tibi affinitate conjungitur.* Quo versu non solum matrimonium nepotis cum uxore patruï, sed & matrimonium neptis cum patruo directè, & explicitè prohiberi sentit, solidèque probat doctissimus *P. Wilhelmus Smits* in notis ad illum locum. Duæ igitur sunt cit. versus partes; primâ: *turpitudinem patruï tui non revelabis*, damnatur matrimonium neptis cum patruo; alterâ: *nec accedes ad uxorem ejus, qua tibi affinitate conjungitur*, reprobatur conjugium nepotis cum uxore patruï, quemadmodum & v. 7. ejusdem capituli: *turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies*,



duplex præceptum adstruitur, & æquè prohibetur concubitus filia cum patre, quàm filii cum matre, siquidem unus, idèmq; hìc gradus consanguinitatis tangatur. Et sanè major ratio est, cum sit major conjunctio, ut prohibeatur matrimonium neptis cum patruo, quàm nepotis cum uxore patruì. Insuper ibidem *ψ. 12* vetatur connubium nepotis cum amita, & *ψ. 13.* ejusdem cum matertera. *Turpitudinem sororis patris tui*, ait Deus, *non discooperies: quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tue non revelabis, eòquod caro sit matris tue:* quidni connubium patruì, aut avunculi cum nepte eadem *Levitici* lege vetitum censeamus? Enimverò utrobique idem consanguinitatis gradus est; urget igitur eadem legis ratio, scilicet: *caro est patris tui: caro est matris tue.*

#### §. X X.

Largimur equidem præfati systematis patronis, discrimen quoddam inter utrumque matrimonium intercedere, quod, cum caput uxoris naturaliter vir sit, Amita aut matertera in priori conjugio, nepoti, quem subesse oporteret, subjiceretur, adeoque naturæ, & honestatis ordo inverteretur. Fatemur etiam inconveniens illud cessare casu, quo patruus aut avunculus sibi neptem conjungeret, eòquod neptis sic semper subjecta maneret Patruo, isque in suâ prærogativâ constanter persisteret. Verum tametsi inde sequatur, non æque indecens ac inordinatum esse hoc, ac illud matrimonium, nequaquam tamen simul exinde deducitur, parem contra utrumque conjugium, non militare legis rationem. Hac namque lege, sola spectatur propinquitas, quæ procul omni dubio in utroque casu eadem est, minimè verò prærogativa attenditur, aut superioritas. Quapropter præsentia amita, aut matertera & subjectio vix alicujus momenti est, siqui-



dem non minùs valeat, si Domina nubat seruo, quàm si serua Domino. Et verò si filius sublimetur in principem, connaturaliter eidem subditur pater: si Religionem profiteatur mater, subjici potest filia, in quo utroque casu nihil omninò, quod æquitati, aut decentiæ naturali repugnet, deprehenditur, cum varietur rerum status, quem & summo opere immutari per matrimonium, nemo sapiens inficias ibit. Multò autem magis prohibitum fuisse matrimonium patruì cum nepte, quàm affinium in eodem gradu, gravior persuadet ratio, quandoquidem magis indecens, & à rectâ ratione alienum sit, conjungi inter se consanguineos, quàm paris gradus affines, id quod tamen prohiberi vidimus ad *Y. cit. C. 18.* Sed neque Romanis olim hujusmodi placuisse conjugia constat ex facto *Claudii Imperatoris, Aggripinam*, suam ex fratre *Druso Germanico* neptem, ducentis, id quod & ipse *Claudius* tanquam quid insolitum agnovit, & vix ullus teste *Tacito L. 12. Annal. C. 5, 6, 7,* imitatus est.

---



---

C A P U T V.

*Rejctis aliis, tanquam insufficientibus, nostra statuitur hypothesis.*

§. X X I.

Missis itaque cæteris, quæ nodum tangere non videntur, systematibus, alteri cuidam subscribendum duximus hypothesi, quam in sequenti schemate proponimus:

	<b>D A V I D</b>	
<i>Salomon</i>	<i>Fratres</i>	<i>Nathan</i>
<i>Mathan</i>		<i>Heli</i>
<i>Jacob, Joachim</i>	<i>Conjuges</i>	<i>Filia. Anna</i>
<i>Jeseph</i>	<i>Conjuges</i>	<i>Maria</i>
	<b>J E S U S</b>	



In hac hypothefi, *Jacob*, & *Joachim* germani fratres, duxerunt ambas filias *Heli*, *Annam* fcilicet, & aliam *innominatam*, ex quo amborum conjugio prognati fuere *Joseph*, & *Maria*, patruces fimul & confobrini, descendentes à  *Davide*  per *Salomonem* ex parte Patrum, per *Nathan* ex parte matrum. *Joseph* filius fuit naturalis, *Jacobi* quidem immediatus, *Heli* verò ex parte matris mediatuſ.

### §. X X I I.

Hypotheſis hæc vel ex eo capite reliquis omnibus præſtat, quod optimè ſibi conſtet, facilis, & aptiſſima ſit ad diſſolvendas levi negotio difficultates omnes, quæ ſive ex S. Scripturâ, ſive ex ratione quovis modo aduci poſſunt. Oſtenditur ſic etiam Chriſtum Dominum originem ſuam traxiſſe ex utraque *Davidis* familiâ, regiâ, & ducali; ex regiâ quidem per *Joachimum* avum ſuum, qui à  *Davide*  per *Salomonem*, & poſteros ejus, Reges descendit; ex ducali autem per *Nathan*, ejusque poſteros, penes quos longo tempore fuit præfectura populi, poſtquam lineæ *Salomonis* abrogatum fuerat imperium. At, inquires, fata hypothefis nova eſt, pro arbitrato conficta, totique antiquitati in cognita. Fatemur; ſed & fateri necelle eſt adverſarios, ſuas reſpectivè hypothefes, conjecturæ, aut nudæ opinionis limites non excedere; aut oſtendant, ſi poſſint, aliorum ſyſtematum architecti, opinionem ſuas in conciliando utroque circa Genealogiam JESU CHRISTI Evangeliftæ, *Mattheo*, & *Luca*, cum rei veritate conſiſtere. Nova eſt, ultrò concedimus, nec nota patribus; verùm quid inde? Nonne & id genus aliæ latuere patres, quas à *Julii Africani* ſyſtemate recedentes, ſubinde adoptârunt viri literati? Sufficit profectò, quod probabilis ſit, quod iis quæ ad rem faciunt, ſatisfaciat phænomenis, neque iſdem,



quæis aliorum, prematur incommodis. Quod SS. Patres hac hypothefi non fuerint ufi, non obeft. Opinionem, quæ fuâ ætate communior erat, amplectebantur illi, quâ docete poterant, de falſitate manifefâ convinci nonpoſſe ſcripturas ſacras, neque ideò improbaſſe cenſendi ſunt alios aliorum æquè, aut fortè magis verofimiles conciliandi modos, in lucem poſtmodum proferendos, queis feliciùs mota tollitur difficultas, & expeditiùs ſcripturarum ſalvatur authoritas.

### §. X X I I I.

Alius fortaffis quempiam invadet ſrupulus, an ſcilicet & hæc noſtra hypothefis non impingat contra id, quod ſuprà in illâ R. P. *Andreae Pauli* reprehendimus. Major certè, dices, inter patruelles, ſeu conſobrinos conjunctio, carniſque cognatio eſt, quàm inter nepotem, & uxorem patruum, eò quod horum conjunctio ſolius affinitatis, illorum verò conſanguinitatis ſit; igitur ſicut *Levit. XVIII. 14.* damnatur matrimonium nepotem inter, & uxorem patruum, ſic & eadem lege, tacitè ſaltem, patruelium & conſobrinorum reprobari videntur connubia. Negativè reſpondent interpretum nobiliſſimi. Nullâ enim lege id genus matrimonia fuâ etiam ætate vetita fuiſſe, agnoſcit S. *Auguſtinus L. 15. de Civit. Dei C. 16.* Gothoſque extitiſſe primos, qui illa proſcripſerint, quorundam non inanis perſuaſio eſt.

### T A N T U M.

#### POSITIONES BIBLICO CRITICÆ.

I. *Zacharias* ſtans à dextris *Altaris incenſi*, *Luc. I. 11.* pretioſis indutus pontificalibus veſtibus vulgò pingitur, incenſum in Sanctum Sanctorum illaturus, errore duplici; uno, quòd ſummus Sacerdos non fuerit, & altero, quòd illis veſtibus uti non potuiſſet. II, Sponſus B. M. V., S. *Joſeph*, ut *Silicernius*, & capularis ſenex communiter ſiſtitur in tabulis, eſque in manu datur *Virga liliæ* producens, ut ſignificetur eum in dicio *Virgæ florentis*, miraculoſè in ſponſum B. V. fuiſſe electum. Ad primum quod attinet, proſectò



florens ejusdem ætas historiæ Evangelicæ magis congruit : alterum ex Apocryphis scriptis desumptum ad Apocrypha amandandum est. III. Varii Verbi Incarnationem adumbraturi, statuunt obtutui infantem de cœlo descendentem, ac super humeros gerentem figuram crucis : sed ignorantes non advertunt, se favere *Valentini & Marcionis* erroribus, Christum non ex substantia *Mariæ* fuisse conceptum, sed corpus è cœlo accepisse, ac per *Mariam*, tanquam per canalem transiisse fabulantium. IV. Effigies B. M. Virginis visitantis *Elisabeth*, quatenus ejusdem comitem *S. Josephum* sistit, non tantum nullum in *S. Scriptura* fundamentum habet : quin oppositum ex eadem colligitur. V. Nimiùm quantum *Helvidii* errori favet imago Deiparæ parienti, opem exhibentem adjungens obstetricem. VI. Sine ullâ etiam veritatis specie à quibusdam Circumcisio Christi in templo, eaque per summum Sacerdotem peracta, exhibetur. VII. Minus fundati sunt, qui præsentationem Christi in templo, *Simeone* justo, Pontificalibus induto eum in ulnas accipiente, repræsentandam contendunt. VIII. Apocrypha est delineatio stellæ præfulgidæ, in sinu suo puerulum exhibentis, quæ Magis apparuisse in Apocrypho libro Seth legitur. IX. Sublestæ fidei quoque est pictura repræsentans Magos, primos Christi veneratores, tanquam tres viros coronatos, atque regio factellitio stipatos, Viz. binos facie candidos, & unum fuscum in collapsio palatio adorantes Servatorem. X. Picturam *S. Joannis* B. non pelle camelinâ, ceu faturum, indutum, repræsentantem, sed veste ex pilis camelorum rudiùs contextâ, contra criticos criticè defendimus. XI. Passim etiam *S. Joannes* Evangelium suum exarans depingitur juvenis, ac imberbis, invitâ penitus historicâ veritate, ex quâ constat, eum decrepitam consecutum ætatem tempore, quo manum divino illi scripto admovebat. XII. Hydriæ in domo nuptiarum Canæ Galileæ, posita secundum purificationem *Judæorum* Joann. II. 6., instar urceorum figulinorum (quales *Coloniæ* extare dicuntur) ineptissimè delineantur. Erant enim aptatæ ad purificationem, per totius corporis immersionem, perficiendam ; capientes singulæ metretas binas, aut ternas, id est, 60, aut 90 pocula belgica. XIII. Ge-



mino errore depingitur Lazarus, in triclinio divitis epu-  
 lonis, ab eodem flagris cæsus : nam, ut probabiliorem  
 eorum sententiam, qui hunc Christi de Lazaro, & di-  
 vite epulone discursum, meram fuisse parabolam sen-  
 tiunt, secludamus : eum ad fores jacuisse, canesque  
 ejus ulcera lambisse, è s. textu perspicuum est. XIV.  
 Christo in die palmarum, non tantum ramos, sed &  
 vestes stravisse populum in via, contra *Ligtfootum* tue-  
 bimur. XV. Icones ultimæ cœnæ, Christum fermè  
 cum Apostolis scamno, aut fellis insidentes sistunt,  
 non tantum à mensis accumbendi more illius tempo-  
 ris, sed & à textu, non alterius notionis verbo uten-  
 te, quàm longissimè aberrantes. XVI. In adumbratio-  
 ne ejusdem objecti, alius communiter error in circum-  
 stantiâ committitur, dum panis crassius in manibus Chri-  
 sti pingitur ; constat quippe apud Hebræos panem buc-  
 cellatim distinctum, fractionique idoneum in usu fuisse.  
 XVII. Avero alienissima est pictura referens *Caipham*, dum  
 Christum, se filium Dei affirmantem audiebat, vestes  
 pontificales lacerantem. XVIII. Longissimè pariter à  
 themate recedunt, qui Christum sanguinis imbre per-  
 fusum, crucique suffixum, vivis corporis delicati colo-  
 ribus ornant. XIX. Idem esto iudicium de corpori-  
 bus latronum concrucifixorum, qui & ipsi secundum  
 leges Romanorum, ante crucifixionem flagellati erant.  
 XX. Tam horum porro, quàm ipsiusmet Christi verenda,  
 non veritas, sed verecundia tegit. Et cur latro-  
 nibus cruces commissæ, æque minores, Christo au-  
 tem crux altior, & immissa in tabulis conceduntur ?  
 Cur illi funibus, Servator clavis ferreis, isque tribus  
 duntaxat, cruci adstringitur ? XXI. Ad aniles fabu-  
 las amandamus miraculosum omnium Apostolorum, ad  
 sepulchrum Deiparæ, quod verosimilius Ephesi extitit,  
 ante gloriosam illius in cœlos assumptionem, conven-  
 tum. XXII. cum Christianos persecuturus *Act. IX. 3.*, iter  
 Damascum institueret *Saulus*, equo insidens effingitur  
 à pictorum alumnis : verum *S. Lucas* suo erroris nel-  
 cio penicillo taliter eum depingit, ut nec umbram qui-  
 dem equi, cui insedisset, adjiciat, imò pedestris *Sauli*  
 itinervis plurimos colores objiciat.



mino e  
 lonis,  
 eorum  
 vite ep  
 tiunt,  
 ejus u  
 Christo  
 vestes  
 bimur.  
 cum A  
 non ta  
 ris, sec  
 te, qua  
 ne ejus  
 stantiã  
 sti ping  
 cellatin  
 XVII.A  
 Christu  
 pontific  
 themate  
 fufum,  
 ribus o  
 bus lat  
 leges R  
 XX. Ta  
 da, non  
 nibus c  
 tem cru  
 Cur illi  
 duntaxa  
 las ama  
 sepulchr  
 ante glo  
 tum. XX  
 Damascu  
 à pictor  
 cio pen  
 dem eq  
 tineris

itis epu  
 biliorem  
 , & di  
 lam fen  
 canesque  
 . XIV.  
 , fed &  
 tum tue  
 n fermè  
 sistunt,  
 tempo  
 o uten  
 mbratio  
 circum  
 us Chri  
 em buc  
 fu fuisse.  
 am, dum  
 , vestes  
 ariter à  
 ore per  
 ti colo  
 corpori  
 eundum  
 ti erant.  
 veren  
 r latro  
 isto au  
 untur ?  
 tribus  
 s fabu  
 rum, ad  
 extitit,  
 onven  
 3., iter  
 ingitur  
 is nel  
 m qui  
 Sauli

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

**TIFFEN® Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Blue	Black
Medium Blue	Medium Cyan	Medium Green	Medium Yellow	Medium Red	Medium Magenta	White	Medium Blue	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Blue	Black